

*Instrumentum assignationis da parte
dei fratelli Gaspare e Baldassare
de Aprucio al cantore Luca Zoffo*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Instrumentum assignationis da parte
dei fratelli Gaspare e Baldassare
de Aprucio al cantore Luca Zoffo*

1445 novembre 2

† In nomine domini domini nostri Iesu Cristi, amen.
Anno a nativitate ipsius millesimo quatragesimo
quatragesimo quinto, regnante serenissimo domino
nostro domino Alfonso, Dei gratia rege Aragonum,
Sicilie citra et ultra Farum, Valencie, Ierusalem,
Hungarie, Maiorice, Sardegne, Corsice comite
Baronchie, duce Athenarum et Neopatrie ac etiam
comite Rossilionis et Ceritanie, regnorum vero eius anno
decime, feliciter, amen, die secundo mensis novembris,
none indictionis, apud civitatem Potencie.

1

2

Nos Iacobus de Bono Iohanne de Potencia annalis iudex
civitatis eiusdem, Thomasius Strambus de Potencia
puplicus ubilibet per provincias Principatus citra et ultra
Serras Serras Montorii, Capitinate ac Basilicate regia
auctoritate notarius et testes subscripti ad hoc specialiter
vocati et rogati presenti scripto puplico instrumenti
fatemur atque testamur quod predicto die eiusdem
ibidem in nostri presencia personaliter constitutus vir
venerabilis dompnus Lucas de Zoffo, cantor maioris
ecclesie Potentine et procurator procuratorio nomine
et pro parte capituli Potentini et yconomus agens, ut
dixit, ex una parte, et Gaspar de Aprucio et Baldassar
de Aprucio, fratres ex utroque parente subsepti, pro
se et eorum heredibus particularibus et generalibus ex
parte altera. Qui quidem cantor et procurator, ut supra,
asseruit coram nobis et sue vive vocis oraculo loquendo
quod noverit ad aures et plenam noticiam omnium

Così A, si intenda Barchinone.

Così A, si legga decimo.

clericorum capituli memorati ac suas pervenisset clara et lucida noticia ex quodam puplico confecto testamento per condam Margaritam de Garruba de Potencia, avam dictorum Gasparis et Baldassaris, in ultimis constitutam, legasse quandam terram sitam et positam in tenimento civitatis Potencie in loco ubi dicitur la Valle de Salicibus, confinatum ab una parte superiori iuxta vineam Ciccarelli Cappelle, mediante sepe et limite, ab alia parte iuxta terram ecclesie Sancti Girardi, mediante limite, ab inferiori parte iuxta terras ecclesie Sancti Francisci, mediante limite, iuxta vias puplicas dessendentes ad flumen magnum et alios fines, occupatam et detentam per eosdem Gasparum et Baldassarem ignorantes et nescientes legatum predictum predictae terre fore per eandem condam Margaritam avam ipsorum factum ecclesie Sancti Girardi pro luminariis ecclesie antedictae, et quoniam qui sine titulo possessionem accipit et retinet alienam aliquo tempore iuste possessionum comodum non accepit, nec penam insertam legibus evitabit, sed ignorantie causa peccatores exusat quod minime tenent et nichilominus predicti Gaspar et Baldassar coram nobis sponte et sine dolo et fraude et non vi, sed satagentes et divinum iudicium formidantes ne ipsum contra eos et eorum animos contraveniret et perveniret propter bona ecclesiastica indebite et occupata tenere, propter quod tam eis quam animabus eorum scelerata gravissima multipliciter multisque formis et modis cumlaret et ideo peccatorum eorum veniam misericorditer implorando coram nobis liberaliter et cum maxima devocione, corde et opera pro remissione peccatorum predictae condam Margarite, ave ipsorum, quod Creator omnium eidem indulgeat et ad vitam eternam perducatur et conservatur ex nunc prout ex tunc et

tunc prout ex nunc dictam terram, confinatum ut supra, dederunt, tradiderunt et assignaverunt dicto cantori procuratori et iconomo capituli ecclesie supradicte ad habendum, tenendum et possidendum et recipiendum ex ea et de ea perpetue fructus, omne censum et redditum anno quolibet absque contrarietate anfracta predictorum Gasparis et Baldassaris, heredum et subcessorum eorum, vigore legacionis predicte dicto cantori procuratori, ut supra, presenti et recipienti pro parte ecclesie antefate, imponentes procuratorem predictum coram nobis recipientem pro parte dicte ecclesie et luminarie in veram proprietatem iamdicte terre. Promittentes predicti Gaspar et Baldassar per se et eorum heredes et subcessores dictam assignationem et traditionem dicte terre, sicut predictur factam, gratam, ratam et firmam habere et perpetue observare et nuncquam contradicere, opponere vel venire, de iure vel de facto, aliqua occasione, modo, ingenio seu tractatu, publice, palam vel occulte, sub pena et obligatione omnium bonorum ipsorum et ad penam per quemlibet ipsorum unciarum auri viginti, pro medietate silicet regie curie seu alteri ubi exinde facta fuerit reclamatio seu querela, et altera vero medietas eiusdem pene eidem cantori stipulanti, nomine et pro parte clericorum capituli memorati, inremissibiliter persolvetur, me predicto notario tamquam persona publica pro parte dicte curie et dicto cantore nomine et pro parte dictorum clericorum, subcessorum suorum sollempniter et legitime stipulantibus. Et renunciaverunt dicti Gaspar et Baldassar exceptioni vi, doli mali, metus et in factum, presentis non sic celebrati contractus, exceptioni deceptionis et fraudis reique predicto modo non geste vel aliter habite, quam ut superius continetur

et est expressum, legi dicenti generalem renunciationem non valere et legi per quod cavetur quod dicte legi renunciationem non valere, capitulis et constitutionibus regni et omni alii iuri et legum auxilio introducto per iura capitulorum et constitutionum regni, nec non omni alii iuri canonico et civili et legum auxilio vel alio quovis modo per quod seu que contra predictos Gasparum et Baldassarem inducendo adiuvere de obligatione predicta vel aliquo premissorum vel infrascriptorum et nunquam contravenire, facere vel quomodolibet allegare, dicere vel opponere. Certiorati prius dicti Gaspar et Baldassar per me predictum notarium et iudicem de omnibus beneficiis et auxiliis omnium legum et iurium predictorum hinc non expressorum quibus et propter que dicta assignatio et ratificatio et huius tenor posset in aliquo minui vel infringi. Et pro predictis omnibus attendendis et inviolabiliter observandis et predicta omnia vera <sunt>, predicti Gaspar et Baldassar dicto cantori coram nobis presenti et recipienti corporaliter tacta prestiterunt iuramentum, et voluerunt dicti contrahentes quod si aliqua iuris sollemnitas in presenti instrumento deficeret, tacite et expresse intelligatur in eo et totiens reffici et emendari possit ad consilium sapientis, donec eius opus fuerit veritatis tamen substantia non mutata. Unde ad futuram rei memoriam et dictorum Gasparis et Baldassaris preces et predictorum clericorum capituli seu cuius interest et poterit interesse cautelam, factum est exinde presens instrumentum per manus mei predicti notarii, signo meo solito signatum, mei qui supra iudicis et nostrum subscriptorum testium subscriptionibus roboratum.

3

4

5

6

Quod scripsi ego predictus notarius Thomasius ut supra notarius, qui premissis omnibus rogatus et vocatus interfui ipsumque meo consueto signo signavi. (SN) Thomasius † Ego Iacobus de Bono Iohanne annalis iudex qui supra. † Ego Franciscus de Asthis testis interfui. † Ego Lanzia de Palma de Neapoli testis interfui. † Ego magister Laurentius de Populo testis interfui. † Ego Antonius Mattheus Cirelli de Venusio testis sum. † Ego notarius Franciscus de Stampis testis interfui. † Ego Valentinus de Populo testi sum. † Signum crucis proprie manus Nicolacii de Aretio testis ydiote qui interfuit et se scribere nescientis fatetur.

Così A.

Così A.

Così A.

Così A, si legga Gasparem, qui e dopo.